



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Salegvnstadiense In Cavsa Disciplinae Ecclesiasticae  
celebratum anno Redemptoris nostri MXXII. tempore Benedicti papae, &  
Henrici imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO CHRISTI 1022. risdictione episcoporum & comitatus illius ex tunc in per- porum iu-  
petuum funditus liberum & exemptum , &c. risdictione.

Illustris rex Hardicanutus prædicti regis Canuti filius, heres & successor , ac sui patris vestigiorum deuotus imitator, &c. cum laude & fauore Aegelnodi Dorobernensis, nunc Cantuariensis , & Alfrici Eboracensis episcoporum, aliorumque episcoporum suffraganeorum, nec non cunctorum regni sui mundanorum principum , descriptum constituit roborauitque præceptum.

CONCILIVM SALEGVNSTADIENSE  
IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ  
celebratum anno Redemptoris nostri MXXII. tempore  
Benedicti papæ, & Henrici imperatoris.

TITVL CI CAPITVLORVM.

- I. De abstinentia carnis & sanguinis in subscriptis temporibus.
- II. De custodiendo ieiunio quatuor temporum.
- III. Quibus temporibus legitima connubia prohibenda sint.
- IV. Ut presbyter qui post galli cantum bibat, nisi necessitas cogat, sequenti die Missam celebrare non audeat.
- V. Ut presbyter non amplius quam tres Missas in die celebret.
- VI. Ut nemo corporale , ad extinguendum incendium, in ignem proicitat.
- VII. De hoc, si duo inculpati fuerint in adulterio, & unus negat, alter profiteatur, quid indefacendum sit.
- VIII. Ut nemo gladium in ecclesiam portet.
- IX. Ne mala colloquia in ecclesia aut in atrio ecclesiæ fiant.
- X. De euangelio, In principio erat verbum , & Missis peculiari-
- bus , ne fiant non suis temporibus.
- XI. De computatione consanguinitatis.
- XII. Aedificia laicorum in atrio ecclesie non ponantur.
- XIII. Ut nullus laicus presbytero ecclesiam suam commendet sine licentia episcopi sui.
- XIV. Si duo de adulterio accusati fuerint, quid inde faciendum sit.
- XV. Ut bannitum ieiunium ab omnibus diligenter obseruetur.
- XVI. De illis qui Romanam ituri sunt.
- XVII. Ut \* carrina non dividatur pœnitenti.
- XVIII. De illis qui pœnitentiam a sacerdotibus accipere nolunt.
- XIX. Ut omnis pœnitens , dum \* carrinam suam ieiunat, de loco \* forte, ea-  
ad locum non migret.
- XX. Ut nullus presbyter quem- quam pœnitentem in ecclesiam introducat.

## P R A E F A T I O.

ANNO  
CHRISTI  
1044.

**I**N Dei nomine, ego<sup>b</sup> Aribō Moguntinæ sedis archiepiscopus, quamuis indignus, cum ceteris confratribus nostris & coepiscopis, Burchardo Vvormatiensi, Vverhenario Argentino, Brunone Augustensi, Eberhardo Bergensi, Meginhardo Vvirzburgensi, Synodum in Sallegunstat condiximus, anno dominicæ incarnationis MXXII. indictione v. II. Idus Augusti, anno autem domini Henrici secundi regnantis XXI. imperii vero VI. quatenus cum communi fratrum prædictorum consilio atque consultu multimoda diuinorum officiorum atque synodalium legum componeretur dissensio, & disparilatas nostrarum singularum consuetudinum honesta consensione redigeretur in vnum. Ideoque propter illas lamentabiles dissensiones communi decreto Concilii hæc capitula sancta sunt.

## C A P I T V L A.

## I.

Vt quatuordecim dies omnes Christiani ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solennitate, quæ in illo episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante nativitatem Domini similiter, & in vigilia epiphaniæ, & in omnium vigiliis apostolorum, & in vigilia assumptionis sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentii, nec non etiam in vigilia omnium sanctorum: adiicientes prædictis vigiliis vnam horam refectionis, excepta infirmitate, nisi aliquis sit qui proprio voto maiori abstinentia vti velit.

## II.

De incerto autem ieunio quatuor temporum hanc certitudinem statuimus, vt si Kalendæ Martii in

**ANNO  
CHRISTI  
1022.** in quarta feria siue antea euenerint, eadem hebdomada iejunium celebretur. Si autem Kalenda Martii in quintam feriam aut sextam aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam iejunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Iunii in quartam feriam aut antea euenerint, in subsequente hebdomada iejunium celebretur. Et si in quintam feriam aut sextam aut sabbatum contigerit, iejunium in tertiam hebdomadam reseruetur. Et hoc sciendum est, quod si quando iejunium mensis Iunii in vigilia pentecostes secundum prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni pentecostes: & tunc propter solennitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris ieunio constitutum est, vt si Kalendæ Septembris in quarta feria euenerint, aut antea, iejunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta aut sexta aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada iejunandum erit. In Decembri illud obseruandum erit, vt proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur iejunium: quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & iejunium celebrare non conuenit.

III.

De legitimis autem coniugiis ita visum est, quod nullus Christianus vxorem ducere debeat ab adventu Domini usque in octauas epiphaniæ, & a septuagesima usque in octauas paschæ, nec in supra notatis 14. diebus ante festiuitatem sancti Ioannis

*Concil. Tom. 25.*

Oo

Baptistæ , neque in prædictis ieiuniorum diebus ,  
sive in omnium solennum dierum præcedentibus  
noctibus .

IV.

Decretum est etiam in eodem Concilio , vt presbyter aliquis post galli cantum æstiui noctibus bibens , proximo die Missam non celebret : \* hie-  
mantibus similiter , nisi necessitas cogat .

V.

Item decretum est , vt unusquisque presbyter in die non amplius quam tres Missas celebrare præsumat .

VI.

Conquestum est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis presbyteris , vt quando incendium videant , corporale dominico corpore consecratum ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem proiiciant . Ideoque decretum est sub anathematis interdictione , ne ulterius fiat .

VII.

Interrogatum est , si duo in adulterio inculpati forent , & unus profiteretur , & alter negaret , quid inde agendum esset . Decretum est etiam a sancto Concilio , vt ille qui negauerit , probabile iudicio se expurget : & qui professus fuerit , digne poenitentiam agat .

VIII.

Decretum est etiam in eodem Concilio , vt nemo gladium in ecclesiam portet , regali tantum excepto .

IX.

Statuit etiam sancta Synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes pene iam inoleuit, omnino prohibeat, hoc est, quod colloquia sua in atrio alicuius ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa \* maxime excent ecclesia, vbi orationes & diuina tantum fieri æquum est officia.

X.

Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant euangelium: *In principio erat Verbum, & Missas peculiares*, hoc est de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele: & ideo sanctum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reuerentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua diuinatione: & si voluerint ut sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant Missas, vel pro salute viuorum, aut pro defunctis.

XI.

Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater & soror sint primi. Hoc autem statuit sancta Synodus, sicut etiam ab antiquis patribus decretum est, ut ita non esset: sed ut nepos & neptis, id est filius fratris, ac filia sororis, primi habeantur.

XII.

Statutum est etiam, ut ædificia laicorum, quæ ecclesiis adiuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio ecclesiæ ponantur, nisi tantum presbyterorum.

*Concil. Tom. 25.*

Oo ij

XIII.

Item decretum est, ut nullus laicorum alicui presbytero suam commendet ecclesiam, praeter consensum episcopi: sed eum prius mittat suo episcopo, vel eius vicario, ut probetur si scientia, aetate & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.

XIV.

Statuit quoque sancta Synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negauerint, & orant sibi concedi ut alterum illorum utrosque diuino purget iudicio, si vnum in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

XV.

Decretum est etiam, ut omnes bannitum ieunium, in quocumque episcopio celebratur, diligentissime obseruent: & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, vnum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

XVI.

Decreuit quoque sancta Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui episcopi, vel eius vicarii.

XVII.

Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus presbyterorum cuiquam pœnitenti carinam diuidere præsumat, si infirmitas non interuenerit.

XVIII.

Quia multi tanta mentis suæ falluntur stulti-

tia, vt in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam a sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, vt Romam euntibus apostolicus omnia sibi dimittat peccata; sancto visum est Concilio, vt talis indulgentia illis non profit, sed prius iuxta modum delicti pœnitentiam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab episcopo proprio licentiam, & literas <sup>\*ferte de</sup> ad apostolicum \* ex iisdem rebus deferendas accipiant.

XIX.

Decretum est etiam in eodem Concilio, vt omnis pœnitens, dum carinam suam ieunat, de loco in locum non migret: sed ibi permaneat vbi suam acceperit pœnitentiam, vt proprius sacerdos sibi præbeat testimonium: si autem ibi propter hostiles iniurias ieunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicui, vbi pacifice possit ieunare, diligentissime commendet.

XX.

In eodem quoque Concilio decretum est, vt nullus presbyterorum quemquam, nisi iussu episcopi, in ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.

A P P E N D I X  
CONCILII SALEGVNSTADIENSIS.

*Quomodo initianda sit Synodus.*

**H**ORA conuenienti, quando episcopo vel eius vicario visum fuerit, omnes expellantur de ecclesia, obseratis foribus cunctis: ad unam ianuam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent, & sella ponatur in medio,

Oo iiij

Quæ sc̄  
quuntur  
apud Bur-  
chardum  
inuenimus,  
ideoque  
ipsa obmit-  
tere nolu-  
mus.

& super eam sacræ reliquiæ & plenarium cum stola ponantur. Deinde conuenientes presbyteri omnes intrent, & secundum ordinationis suæ tempus resideant. Post hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Exinde introducantur laici bonæ conuersationis. Tunc ingrediatur episcopus, si voluerit, vel si necessitas exegerit: & si non aderit episcopus, eius vicarius eadem faciat. Synodus ingrediens ipse, vel eius vicarius, primum salutet clerum & populum: & versus in orientem, mediocri voce dicat: Deus humilium visitator, qui nos fraternalia dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos in quibus habitas tuum in nobis sentiamus aduentum. Per Dominum, &c.

*Tunc procedens diaconus cum subdiacono & cum thuribulo, & cum ceroferariis duobus, legat euangelium:*

Cum esset sero die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ.

*Deinde dicat pontifex, vel eius vicarius:*

Sancta Maria, & omnes sancti, & electi Dei, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum Deum nostrum, ut mereamur ab eo adiuuari, & protegi, & sanari, qui viuit & regnat in sæcula.

*Postmodum duabus vicibus dicat:*

Deus in adiutorium meum intende.  
Domine ad adiuuandum me festina.

*Tunc tertio iterum dicat:*

Deus in adiutorium meum intende.

*Clero respondente:*

Domine ad adiuuandum me festina.

*Cum Gloria Patri, & Kyrie eleison, & Pater noster,  
cum precibus iustis:*

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.

Aduua nos Deus salutaris noster.  
Esto nobis Domine turris fortitudinis.  
Domine exaudi orationem meam.  
Dominus vobiscum.

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, vt a cunctis perturbationibus liberati tranquilla tibi seruitute famulemur. Per Dominum, &c.

*Deinde pro vniuersis ordinibus, nec non pro statu papæ, & ainstitis eiusdem sedis, dicant istos psalmos.*

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam.

Deus in nomine tuo saluum me fac.

Miserere mei Deus, miserere mei.

Deus misereatur nostri.

*Et Pater noster, cum precibus:*

Sacerdotes tui induantur iustitiam.

Memento congregationis tuæ.

Saluos fac nos Domine Deus noster.

Vt confiteamur nomini sancto tuo.

Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicantes, vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur. Per Dominum, &c.

*Deinde dicat:*

Deus omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum quem pastorem ecclesiæ tuæ praesesse voluisti propitius respice: da ei, quæsumus, verbo & exemplo quibus præsit proficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per Dominum, &c.

*His expletis, septem psalmos pænitentiæ decantent, cum Kyrie eleison, & Pater noster, cum precibus istis.*

Ego dixi, Domine miserere mei.

Conuertere Domine vsquequo.

Fiat misericordia tua Domine super nos.

Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Dies nostros, quæsumus Domine, placatus intende, pariterque nos & a peccatis absolve propitius, & a cunctis eripe benignus aduersis. Per Dominum, &c.

*Post hæc vero egrediantur omnes, exceptis presbyteris & ceteris idoneis clericis: factoque silentio, pontifex, vel eius vicarius, dicat hanc orationem:*

Dominus vobiscum.

Oremus.

Adesto nobis, quæsumus Domine sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter aggregatis: veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus: quo gradiamur ostende: quid efficiamus operare: esto salus & suggestor & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & eius Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores iustitiae esse, qui summæ veritatis diligis æquitatem, vt in sinistrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflecat, non acceptio muneris vel personæ corruptant, sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te vnum, & in nullo deuiemus a vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt & hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Per Dominum, &c.

*Tunc diaconus codicem Canonum in medium proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiet, id est ex Concilio Toletano: finitisque titulis, & cunctis in ordine sedentibus, hæc admonitio ab episcopo, vel, si voluerit, a diacono legatur:*

Ecce, sanctissimi fratres, præmissis Deo precibus, fraternitatem vestram cum pia exhortatione conuenio, & per diuinum nomen obtestor, vt ea quæ a nobis de Deo & sacris ordinibus vel nostris moribus vobis fuerint dicta cum summa reuerentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis nostrum aliter quam dicta fuerint senserit, sine aliquo scrupulo contentionis in nostrum omnium copulatione ea ipsa de quibus dubitauerit conferenda reducat, qualiter Deo mediante aut doceri possit, aut doceat.

ANNO  
CHRISTI  
1022. doceat. Deinde vos simili obtestatione coniuro, vt nullus vestrum in iudicando aut personam accipiat, aut quolibet fauore aut munere pulsatus a veritate discedat. Sed cum tanta pietate quidquid coetui se iudicandum intulerit retractate, vt nec discordans contentio ad subuersiōnem iustitiae inter nos locum inueniat, nec iterum in perquiren- da æquitate vigor nostri ordinis vel solicitude tepeſcat.

*Post hanc exhortationem, quisquis clericorum velit, conferat quere- lam. Et admonendi sunt, ut nullus ad Synodum veniat non ie- junus, vel a cœtu communi secedat, antequam generalis seceſ- ſio adueniat. Et tunc quoque Synodus prime diei soluatur.*

*Secunda die quando episcopus, vel eius vicarius, Synodum ingreditur, in loco suo stans dicat:*

Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus qui nobis in famulis tuis præsentia signa ma- nifestas, mitte super nos Spiritum caritatis, vt in aduentu fratrum conseruorumque nostrorum gratia nobis tuæ lar- gitatis augeatur. Per Dominum, &c.

*Postea legatur euangelium ita ut in priori die:*

Designauit Dominus & alios septuaginta duos.

*Deinde dicat episcopus, vel eius vicarius, preces sicut in priori die.*  
Santa Maria & omnes sancti, & sic cetera.

*Tunc omnes prostrati decantent psalmos istos pro regis nostri &  
aliorum sui regni primatum softitate:*

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?

Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

Deus auribus nostris audiuiimus.

*Cum Kyrie eleison, & Pater noster, cum precibus istis:*

Domine saluum fac regem.

Esto ei Domine turris fortitudinis.

Saluum fac populum tuum Domine.

Fiat pax in virtute tua.

Exurge Domine, adiuua nos.

Domine exaudi orationem meam.

Domine Deus virtutum conuerte nos.

Dominus vobiscum.

*Concil. Tom. 25.*

Pp

Oremus.

Deus regnorum omnium, & Christani maxime protector imperii, da seruo tuo regi nostro triumphum virtutis tuae scienter excolere, ut qui tua constitutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per Dominum, &c.

Oremus.

Prætende Domine famulis tuis dexteram cælestis auxilii, ut toto corde perquirant, & quæ digne postulant consequi mereantur. Per Dominum, &c.

*Deinde pro infirmis & pro salute totius ecclesiæ istos psalmos decantent:*

Beatus qui intelligit super egenum.  
Domine refugium factus es.  
Domine Deus salutis meæ.

*Cum Kyrie eleison, & Pater noster, cum precibus istis:  
Castigans castigauit eos Dominus.  
Nihil proficiat inimicus in eis.  
Exurge Domine adiuua nos.  
Domine exaudi orationem meam.  
Dominus vobiscum.*

Oremus.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmos famulos & famulas tuas ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuae adiuti ecclesiæ tuae sanctæ repræsentari mereantur. Per Dominum, &c.

*Postea legatur a diacono homilia Gregorii, incipiente versu isto:*

Messis quidem multa, usque, Patres esse minime recognoscunt.

*Tunc, si clerici querelam non habent conferendam, laici intromittantur. Illis autem audientibus, lectio Nicæni Concilii recitetur:  
Iudices non nisi ieuni leges & iudicia decernant.  
Quisquis ex laicis habet querelam proferat.*

*Et Synodus secundæ diei sic soluatur.*

*Tertia die cum episcopos, aut eius vicarius, ut in ceteris diebus,  
Synodum ingreditur, dicat:*

Dominus vobiscum.

ANNO  
CHRISTI  
1922.

Oremus.

Protege Domine, quæsumus, nos famulos tuos subfidiis mentis & corporis, & spiritualibus enutriens alimenti, propitius redde securos ab hostibus vniuersis. Per Dominum, &c.

*Et post hoc legatur euangelium,*

Circuibat Iesus ciuitates & castella.

*Deinde pro fidelibus defunctis istos psalmos decantent:*

Verba mea auribus percipe Domine.

Domine ne in furore tuo, minorem.

Ad te Domine leuaui animam meam.

*Cum Kyrie eleyon, & Pater noster, cum precibus istis:*

Requiem æternam dona eis Domine.

In memoria æterna erunt iusti.

A porta inferi.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Inueniant, quæsumus Domine, animæ famulorum famularumque tuarum omnium in Christo quiescentium lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. Per Dominum, &c.

*Post hæc pro irreligiosis psalmos istos decantent:*

Ad te Domine clamabo.

Benedic Domini in omni tempore.

Deus venerunt gentes in hereditatem.

*Cum Kyrie eleyon, & Pater noster, cum precibus istis:*

Fiat pax in virtute tua.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Deus tu conuersus viuificabis nos.

Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus qui infideles deseris, & iuste indeuotis irasceris, populum tuum ( quæsumus) ad te conuerte propitius, vt qui te per duritiam irreligiosæ mentis semper offendunt, ad sancta officia promerenda tuæ miserationis gratia inspirante conuertas. Per Dominum, &c.

*Concil. Tom. 25.*

Pp ij

*Si quæ sint quæstiones vel querelæ, conferantur; & sic  
Synodus tertiae diei solnatur.*

*Quarta vero die episcopus Synodum ingrediens sic procedat,  
ut primum portentur ante eum duo candelabra cum cereis incensis,  
quæ sequatur subdiaconus portans euangelium, duæ cruces hinc  
& inde; deinde diaconus, postremum episcopus episcopalibus in-  
dutus vestimentis & cappa ingrediatur. Et ingressus in sede sua  
stans dicat:*

Dominus vobiscum.

Oremus.

Nostrorum tibi Domine curuantes genua cordium,  
quaesumus ut bonum, quod in nobis a te requiritur, ex-  
equamur, scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradien-  
tes discretionis arduæ subtile iudicium faciamus, ac mis-  
ericordiam diligentes clareamus studiis tibi placitæ actio-  
nis. Per Dominum, &c.

*Postea solito more legatur euangelium,*

Respiciens Iesu discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si  
peccauerit, &c.

#### NOTA.

Mogunti-  
num an-  
poslit ap-  
pellati?

\* *Concilium.]* Hoc Concilium teste Baronio ab auctore micrologi  
Moguntinum nominatur. Eo nomine iure meritoque nominari pos-  
se in sua historia Moguntina Nicolaus Serarius recte existimat. Nam  
Saleguntstadium, inquit, sive sit a Salegasto sapiente, ut vult in historie  
compendio Trithemius, sive a Salicis & Salingi, uti Beatus, Moguntine  
iam tum diaecesis erat, sicuti & hodie continetur principatu, eique presedit  
archiepiscopus Moguntinus Aribō. Et paulo post haec nonnulla quæ ad  
Canonum quorumdam explicationem multum conferunt, ista sub-  
iungit: *In hac autem Synodo duæ sunt illius temporis obscure voces, ban-  
natum iejunium, cap. 15. & carrina vel carena cap. 17. 18. 19. de qua sic  
lib. 19. cap. 5. sapiissime Burchardus: Carrina est dierum 40. continuo-  
rum iejunium in pane & aqua. Sicque in Moguntino Conilio, quod ab  
archiepiscopo Petro habitum est, dum sacrarum indulgentiarum nimia  
profusio restringitur, ita sanctum est: In dedicationibus ac ordi-  
num temporibus relaxari carenas, & pœnitentes introduci om-  
nino vetamus: sed hoc fiat tantummodo in festo coenæ Domini ad  
hoc ordinario. Illud vero a banno est, que vox in Triburienſi Con-  
cilio cap. 9. in Mariano, Vrſpergenſi, aliisque compluribus legitur,  
etiam in regum literis, & diplomatibus Caroli Craſſi, in fundatione*

ANNO CHRISTI  
1022. Francofordiensis Bartholomeani templi, & Caroli Francorum regis apud Baronum tomo 10. anno 853. estque hodie in Germania perusitata, vel pro excommunicatione, vel pro aliqua ditione, seu diocesenos portione, vel denique, ut explicat in Friderico I. Vrpergenensis, pro pecunaria poena, imo etiam interdum pro publica proclamatione. Ex prima enim illa notione dicitur esse aliquis in ban, id est, in excommunicatione: ex altera dicuntur ab bellarii nonnulli bannum illum vel illum habere, & gestare bansbrieff; atque hinc etiam apud Gallos & Italos, bannire, pro in exilium mittere, & banniti pro exiles: ex tertia vero, Fridericus bannum constituit, id est paenam pecuniariam apud eundem Vrperensem: ex quarta vero, dicit in summula Caietanus cap. de matrimonio, banna seruari oportere, id est, proclamari nuptias: apud nos die banne lassen druber gehen. Sic apud Hincmarum epistola quarta, & in S. Gothardi vita, Trithemio, & similibus. Bannitum igitur ieiunium fuit magnum & intensum ieiunium, quod ad Dei bannum seu paenam iramque auertendam ab iis suscepiebatur qui se banno diuino dignos agnoscebant. Hucusque ad nostra fere tempora fuit in Moguntina ecclesia usus, & e modo fere per triduum seruabatur, isdemque ferius, quemadmodum quatuor temporum ieiunia, sed aliis hebdomadibus, quos ad memoriam versiculo isto significabant:

Post Salus & Miseri tibi erunt ieiunia banni.

Ide est post dominicas quibus canitur Salus & Misericordia, quarum illa est dominica XIX. post Trinitatem, hac dominica I. post Quasimodo. Hec Serarius praedicto loco.

<sup>b</sup> Aribō.] Quatuor huius præfusis, teste Serario libro 5. historiæ Moguntinenſis, inueniuntur nomina, Aribō, Erbo Eribō & Abbo. In catalogo virorum illustrium a Trithemio breuiter cum laude describitur his verbis: *Aribō Moguntinenſis ecclesia XIX. archiepiscopus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & dulcis eloquio, scripsit inter alia ingenii sui monumenta opus pulcherrimum super 15. psalmis grad. lib. 1. & varias epistolæ ad diuersos, &c.* Plura de Aribone Serarius libro 5. historiæ Moguntinenſis.

Aribonis  
quatuor  
nomina.

<sup>c</sup> Anno Domini 1022.] Ita de tempore propter additam indictionis quintæ notam Baronius prædicto loco, vbi pro anno sexto imperii Henrici ipse legit anno nono: ex tempore factæ coronationis, quæ facta est anno Christi 1014. sexto Kalendas Martii, ita legendum est patet. Serarii lectio ab hac in tempore discrepat.

<sup>d</sup> Bannitum ieiunium.] Vide quæ in banno & ieiunio bannito ex Cap. 15. Serario supra dixi.

<sup>e</sup> Carrinam.] Carrina quid sit ex Burchardo dictum est supra. Cap. 17.